



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

LXXIII. Magnificentia templi Salomo[n]ici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

Sabææ Regina (quam *Makédam* appellant) quæ à meridie septentrionem versùs, dierum plurimorum itinere Ierosolymam contendit, immensis cum opibus, ac multo, regiòque comitatu. Ea cunctis Salomonis inspectis, & regiæ miraculis, & pectoris, philosophiæque penetralibus: admiratione defixa, didicit experimentò, confessaque verbis est, famam longè maximam, majora fuisse visam auditamque. Rediit igitur in Æthiopiam suam, admiratione non minus, quàm oblatis à Rege donis, opulenta. Cùmque Salomoni prior ipsa centum ac viginti dedisset auri talenta, cum gemmis & aromatis infiniti pretij; longè plura tamen, & pretio superantia à regia liberalitate reportavit: imprimis verò DEI veri solidam cognitionem atque cultum; aliâque suis congrua postulatis; tanta fuit admiratione relicta Ierosolymis, quantam ipsa Regis Hebræi famam, ad suos detulit populos.

NARRATIO LXXIII.

MAGNIFICENTIA TEMPLI SALOMONICI.

Lib. 3. Reg. cap. 6. 7. 8. 9.

Ab Anno Mundi 3023. Ad Ann. 3030. Ante Chr.
1030. Ad Ann. 1023.

Magnificentia Templi à Salomone constructi quanta fuerit, multiplici nomine licet æstimare. Nam si finem perpendas, erat Majestati Divinæ Sedes præparanda; si ideam spectes, fuit ea ab ipso Numine Davidi, & per hunc Sa-

Solomoni dictata ; si sumptus & impensas cogites ,
 sunt eæ factæ à duobus opulentissimis regibus , Da-
 vide , filioque Salomone ; si Conditorem attendas ,
 fuit is idem Salomon , longè omnium mortalium
 sapientissimus ; si structuram consideres , erat opus
 ab omnibus pro Mundi miraculo , summæque ve-
 nerationi habitum ; si operas advertas , multa homi-
 num millia in eo per septennium laborârunt ; si arti-
 ficium architectonicum ; erant lapides prægrandes
 ita secti , dolati , politi & ad unguem inter se qua-
 drati & commissi , nullum ut intuentibus mallei aut
 cujuslibet instrumenti fabrilis vestigium præberent ,
 sed conflata potiùs omnia , quàm arte connexa &
 coagmentata viderentur ; unde , teste Scriptura ;
Reg. 6. Malleus , & securis , & omne ferramentum non sunt
audita in Domo , cùm edificaretur , Saxis videlicet jam
 antea ibi , ubi excidebantur à latomis , mira perpo-
 litione ad juncturam aptatis . Si denique magni-
 tudinem , amplitudinem , firmitatem , ornatum ,
 supellectilem Templi expendas , simile nihil terra-
 rum vidit orbis . Hinc psal. 77. Monoceroti seu U-
 nicorni comparatur . *Et edificavit sicut unicornium*
sanctificium suum in terra . Per cornu , robur ; & quia
 unicum , raritas operis indicatur .

Cæterùm locus , cui mirifica structura imposta
 mons erat *Moria* (de quo jam alibi meminimus) an-
 tiqua Abrahami , filium immolaturi , religione cla-
 rus ; quem à contermino *Sionis* jugo ingens vorago
 cui *Mello* nomen , discriminabat . Quare ad laxan-
 dam ædificij aream , & valles implendas , necesse e-
 rat maximas substructiones excitare , ut alicubi mu-
 rus cubitos trecentos , plures alibi altitudine ; quin-
 qua-

quaginta latitudine æquaverit. Magnitudo verò Templi, speciem civitatis bene magnæ, & procul aspicientibus, montem [Josepho memorante] niveum, mixtis auri radijs, non sine oculorum pavore referebat. Altitudo universa [pluribus enim contignationibus ædificium intercipiebatur] in centum viginti cubitos assurrexit: sexaginta cubitos in longum; aut septuaginta, si vestibulum annumeres. Viginti in latum continebat, & gemino cingebatur atrio amplissimo, multisque porticibus distincto. Porrò tripartitum erat ædificium; primò vestibulum seu porticus prætendebatur Templo, longitudine viginti cubitorum, latitudine decem. Pars ei contigua in longitudinem quadraginta cubitorum, in latitudinem, viginti excurrit, dicebaturque *Sanctum*, seu strictiore appellatione *Templum*. Ab hoc, murò cedrinò, multis gemmis interpolatò, separabatur pars tertià, quod Penetrale, Adytum, intimum Sacrarium dicas; sacer Historicus *Sanctum Sanctorum*, & *Domum Propitiationis*, appellat, minoris dimidio amplitudinis: Soli Pontifici, & semel duntaxat in anno adeundum. Muri è marmore candidissimoeducti: intus tabulis cedrinis vestiti, & hæ auro intectæ, variæque cælatura sculptæ; ipsum pavementum auro constratum. Trabes quoque & tigna, maximam partem cedrina aureis laminis tectæ: quibus subnexa laquearia, artifice non minùs sculptura elaboratæ, multo auro refulgebant. Verbo, *nihil erat in Templo, quod non auro tegetur.* 3. Reg. 6.

Imprimis visenda duo Cherubinorum simulacra quæ stabant alis juxta Arcam Fœderis [Cherubicis & ipsam,

& ipsam, sed longè minoribus signis, juxta præscriptum Mosis, obumbratam] ad utrumque Sacrarum latitudo exporrectis, proceritate decem cubitorum, è ligno oleagino, aureis laminis incrustato. Adde his Altate *Thymiamatis* (ita appellatum, quòd in eo aromata manè, vesperique cremarentur) è cedro, auro inducta, confectum. Adde Mensas denas *Propositionis* [nam in eis Panes Sacri, quot Sabbatis proponebantur] cum totidem candelabris aureis. In ipso Templi limine prostabant duæ columnæ, quarum alteri *Sachin*, alteri *Booz* nomen, scapo in octodecim-cubitos, epystilio in quinque surgente, ambitu duodenum cubitorum, auro ad digiti crassitudinem obductæ. Postes & ipsi ære rigeant. In exteriori Templi circuitu complura loca subterranea, firmissimo opere constructa, cryptoporticus, culinæ, gazophylacia, horrea, cellæ vinariæ & oleariæ, adeò capacia, ut in illa inferri possent, ac cõservari omnes primitiæ & decimæ toti⁹ gentis Israëliticæ, suisque temporibus multis Sacerdotum & Levitarum millibus distribui. Super his per gyrum inædificata varia habitacula, & exedræ, in usum Ministrorum Templi.

In atrio Sacerdotum [alterum enim profanorum erat] ingens altare æneum visebatur, ad holocausta incendenda, viginti cubitorum latitudine. Ibi amplissimum aquarum receptaculum, ex ære fabricatum, duodecim boum dorsis, ex eadem materia, sultum [*Mare æneum* Sacræ literæ vocant] Sacerdotum manibus ac pedibus abluendis; tria millia metretarum capiebat; metretæ singulæ triginta sex mensuras nostrates, seu septuaginta quatuor sextan-

tes Romanos faciunt. Ibi varia labra & conchæ ad intestina & pedes victimarum purganda. Ibi mirabilis subterraneorum conceptaculorum amplitudo, quæ ad quinque usque stadia per circuitum templi penetrabat; plumbeis ad ea fistulis quacunque per muros & templi solum, quibus omnia abluerentur, mundarenturque, descendantibus.

Jam quanta vasorum aureorum & argenteorum [ut nihil dicam de æneis] multitudo. Si Josepho fides, erant ex auro decem millia mensarum minorum: Totidem minora candelabra, Mensuræ, Turbæ, Thuribula, Phialæ, litatoria viginti millia. Instrumenta ex electro quadraginta millia. Crateræ aureæ ad subigendam similam sexaginta millia. Canthari vinarij, & lances aureæ, octoginta millia. Phialarum aurearum centum millia. Summa vasorum aureorum quadringenta, & viginti millia. Argenteorum verò mille millia, & quinquaginta millia. Villalpandus noster summam vasorum aureorum auget, asseritque, fuisse sexcenta, sexaginta millia; additque firmandis dictis; hoc tantum auri non capiendum cubiculo decem cubitos alto, totidemque longo & quinque lato. Unde colligas, quantus etiam fuerit Pontificiæ & Sacerdotalis vestis apparatus.

De operarum numero ne quis dubitet, eum distinctius referemus. Et Hierosolymis quidem in extruendo Templo laborabant hominum supra centum millia, sexaginta quinque millia. Præfectorum tria millia trecenti. Profelytorum [qui è Gentibus ad Religionem Judaicam accesserunt] in monte onera portantium septuaginta millia. La-
to-

tomorum, & saxa templo parantium octoginta millia; Præfectorum in hos, tria millia sexcenti. Summa omnium trecenta, viginti unum millia; alij parciore calculo, paulùm ultra ducenta millia extendunt numerum, nihilominus stupefendum. Vide Chronicon Reg. lib. 3. c. 5, & 2. Paralip. c. 2. His omnibus septennio alimenta à Rege præbita, singulisque operarijs finitò templò, decem sicli (singuli sedecim sestertios valent) donati. Jam quantæ eorum copia, quæ in ministerium *Domûs Domini* delecta & distributa. Sacerdotes pænè innumeris; Levitarum viginti quatuor millia; Præpositorum & Judicum sex millia; quatuor millia Janitorum, totidémque organis canentium.

Neque minus admirationis habent sumptus in hoc ædificium collati; David enim filio pro impensis *Domûs Domini* reliquit auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum (quæ tantundem conficiunt) lib. 1. Paral. c. 2. Ea summa juxta computationem Cornelij in eundem locum, facit bis mille quadringentos milliones aureorum Gallicorum; ratione monetæ Italicæ, ter mille ducentos octoginta duos milliones, insuper centum triginta quatuor millia, & viginti quatuor scutatorum aureorum. Pineda ad tria millia millionum auri ex Hispanicis *Ducatis*, propè accessisse autumat. Salianus, de amore DEI lib. 8. c. 7. bis mille, septingentos, quadraginta quinque milliones, unum & quinquaginta millia, sexcentos & sexaginta sex aureos nummos Gallicos confecisse existimat; afferitque, hanc auri vim non latum iri decem millibus currum, nongentis & octoginta, quamvis singuli
currus

currus ducenta & quinquaginta millia aureorum ferrent. Tantas opes collegit David partim ex vegetigalibus, partim ex navigatione Orphiritica, partim ex hostium spolijs & tributo, partim ex annuo Israël's censu, quò quisque pendeat quotannis Templo dimidium siclum juxta legem Exodi 30. quam capitationem mittebant Iudæi per totum orbem dispersi; ut adeò Davidis & Salomonis reditus annui superârint tributa & opes Romanorum, Chaldæorum, Persarum, omniumque regum & monarcharum. Accessit Davidis munificentia, liberalitas populi, qui, computante Saliano, puri puri auri septuaginta duos milliones, nongenta & viginti sex millia, sexcentos sexaginta sex aureos nummos Francicos in collectâ repræsentavit. Pineda (in Salomone Prævio) cum divinis libris, 1. Paral. c. 29. calculum movens, tantum, inquit, populus ferri, æris, argenti, auri contulit, ut id Hispanicæ mone-tæ efficiat mille ducentos, & octo milliones, centum & nonaginta sex millia *ducatorum* Hispanicorum. Insuper, quod sacri codices loc. cit. apponunt, *apud quemcunque inventi sunt lapides pretiosi, dederunt in thesauros Domus Domini per manum Iabiel Gersonitis.* An non hoc fuerit satis caussarum, quæ Reginam Saba in stuporem darent?

Atque hunc in modum exstructo Templo, cum præcipuum adhuc ornamentum deesset, Oraculum divinum; incredibili cum pompa est in Basilicam, & penitiorum adytum illatum. Ibi tum repente nebula, DEI præsentiam testata, non sine lucida caligine locum implevit, sacrumque cum voluptate horrorem per Sacerdotum & Levitarum, (populus
extra

extra ea septa stabat) Regis comprimis, oculos atque animos diffudit. Salomon tenerrimo gaudio delibutus, cum post solennes preces ac gratiarum actiones, suos ad perseverantiam in timore & cultu veri Numinis cohortatus fuisset, hostias ad Aaram admoveri iussit. Et ecce, iteratum benevolentiae divinae argumentum! denuo nebula cum igne de caelo delapsa, religiosum omnibus terrorem incussit, flamma victimas depascente, & litationem approbante. Septiduum tenuit Dedicationis solennitas, quo temporis spatio, in sacrificium mactata boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia. Quibus diebus festis inter Sacra & Epulas exactis, populus ingenti cum laetitia dimissus est, actis prius Regi gratijs pro bene curata republica, & pro tantis operibus absolutis, precatus, ut praepotens DEUS tanto sibi Capite diu incolumi frui concederet. Exinde Rex per quietem iterum à DEO admonetur, gratum sibi fuisse Sacrificium, vota exaudita, servaturum se Templum suum, semperque inhabitaturum propitiè, donec & ipse, & ipsius posteris, cum subjecto populo iustitiam colebant, & à paternis praecipis non discederent. Evahendum eum ad summum felicitatis fastigium, ipsiusque progeniem per continuatas successiones regnaturam. Quod si proditò, & oblivioni traditò pietatis studiò, ad externarum religionum seritus transferret, radicitus stirpem excidendam, Templumque, quod tum recens exstructum esset cum Urbe, à barbaris diripiendum, incendendum, diruendum. Tristes minae tristiore sortitae sunt eventum. Templum post quadringentos viginti qua-

quatuor annos, tempore Sedeciae Regis, à Chal-
 daeis incensum in cineres defedit, porticus unica,
 quae Salomonis, posteris quoque saeculis, vocabatur,
 instaurata remansit, de qua Apostoli admirabundi
 ad Christum: *Magister aspice, quales lapides, & quales*
structurae? Marc. 13. E cineribus diu post surrexit
 alterum (quod à Scriptoribus *secundum* appellatur)
 permisso Cyri, Regis Persarum, post captivitatem
 Babylonicam, Duce *Zorobabele*, aedificatum, altitu-
 dine tamen non ultra sexaginta cubitos excrescen-
 te, caventibus id regis Praefectis, ne moles subli-
 mius educta, sub religionis specie, rebellionis fie-
 ret propugnaculum. Quod ipsum templum, mul-
 to post tempore, nempe Anno Mundi 4035. Ante
 Christum. 18. Herodes spatij dilatavit, porticibus
 novis exornavit, minimè tamen novum (quod Jo-
 sephus vult) excitavit, reclamante Aggæo cap. 2.
 qui ex Oraculo Divino praedixit, *novissimam hanc do-*
mm (Zorobabelis) gloriosiore fore priore; ejus-
 que praesentia cohonestandum, qui *veniet Desideratus*
cunctis gentibus. Sæpè; quod pietas aedificat, ingra-
 titudo destruit. Nemirare, tantam aedificij Maje-
 statem pessum iisse. Nobilissimam fabricam non
 tam manus Chaldaea, quam Salomonis populique
 scelera in cineres dederunt.

NARRATIO LXXIV.
 SALOMONIS DE-
 DECORA. 3. Reg. 11.

Ab